

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4048

**Auteur(s) :** Renaud de Dammartin, Boulogne (comte)

**Bénéficiaire(s) :** Simon, frère du comte de Boulogne Renaud [autre]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1208, septembre

**Lieu d'émission :** Compiègne

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Renaud, comte de Boulogne, notifie la convention faite entre lui, le comte Guillaume de Ponthieu, Marie, fille de Guillaume, et Simon, frère de Renaud. Renaud assigne à Simon ayant épousé Marie 500 livrées de terre sur la terre de Normandie.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 168, p. 28 et p. 294-295.

Texte établi d'après a

Ego Renaldus, comes Bolonie, notum facio presentibus et futuris, quod hec sunt conventiones inter me et Guillelmum, comitem Pontivi, et Mariam, ejusdem comitis filiam, et Simonem, fratrem meum, qui cum eadem Maria matrimonium contraxit. Ego siquidem Simoni, fratri meo, quingentas libratas terre, Parisiensis monete, pro hoc matrimonio contrahendo in terra mea Normannie ultra Secanam donavi. Has autem quingentas libratas terre Hugo de Fontibus et Stephanus de Longo campo debent eidem Simoni assignare. Quod si isti duo non possent concordare, Robertum de Bova ad hoc faciendum vocarent, qui cum altero illorum predictam terram, sicut dictum est, assignaret. Preterea sciendum est quod inter Canceiam et reveriam de Arguel, nisi de assensu predicti comitis Pontivi, nichil possum acquirere, nisi ea que ego tenebam ea die qua conventio ista facta fuit apud Compendium, excepto assignamento quod habeo de Hugone de Ballolio pro fidejussione quam pro ipso feci, et, si majus assignamentum potero habere in terra illa de predicto Hugone pro fidejussione supradicta, illud michi tenere licebit donec predictus Hugo vel alius pro eo de fidejussione illa gratum meum fecerit. Contentio autem, que inter nos erat super foresta de Moiflres et super feodis ad Albam Marlam et ad Arguel pertinentibus, sic sopita est : quod ego et Guillelmus, comes Pontivi, in legitimam proborum virorum inquisitionem compromisimus, et quod utrique nostrum eorumdem legitima inquisitio dederit, hoc tenebit et habebit, nec de cetero super hoc aliquid poterit reclamare. Preterea terram de inter Canceiam et Altesiam, de qua discordia erat inter me et sepedictum comitem Pontivi, eidem comiti Pontivi toto tempore vite mee quitam clamavi. De castello Montenaï sic erit : quod ego denarios quos pro eodem castello habendo posui rehabebo, quos cum rehabebo, nec ego, nec sepedictus comes Pontivi, nec Hugo Kieres, nec ejus fratres castella Galteri de Montenaio per vadium vel per emptionem habere poterimus, nisi ad eundem Hugonem Kieret jure hereditario vel alia aliqua sufficienti ratione castella devolverentur. Super his autem conventionibus firmiter observandis dominum meum Ph., regem Francorum, plegium constitui, ita quod, si ab illis resiliem, dominus rex Francorum absque aliqua interceptione ad feodum

meum, donec sit emendatum, poterit assignare. Quod ut ratum habeatur et firmum, salvo jure domini regis et ejus rachato, presentem paginam sigilli mei munimine confirmavi. Actum apud Compendium anno Domini M° CC° octavo, mense septembri.